



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Disputatio VI. De voluntate divinæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

& non aliunde emendicare exemplar, ad cuius imitationem faciat, quæcumque facit. Atqui exemplar illud perfectissimum, nec aliunde emendicatum, ad quod Deus respicit operando ad extra, non potest aliud esse, quam ipsa essentia divina, quæ participabilis & imitabilis est à creaturis, aut quæ est Deo prima ratio cognoscendi modo perfectissimo creata omnia secundum naturam, proprietates, & modum ea faciendi. Ergo, &c. Minus igitur dignè de Deo sentit Durandus, cum docet ideas nihil aliud esse, quam essentias rerum possibilem in mente divina objectivè existentes.

RESPONSIO III.

Idea objectiva, quam habet Deus rerum à se conditarum, est unica & simplex realiter, sed virtualiter & logicè multiplex. Ita S. Thomas art. 2. in O.

Prima pars per se patet; cum idea illa nihil aliud sit, quam essentia divina v. g. quæ participabilis & imitabilis à creaturis. Secunda verò pars facillè ostenditur. Nam essentia divina, quæ participabilis & imitabilis à creaturis, vel, si vis, quæ Deo est prima ratio cognoscendi creaturas secundum naturam, proprietates & modum quo fieri debent, æquivaleret ideis realiter ab invicem distinctis, quarum una esset propria huius entis, altera istius, &c. Se ipsa enim modo quodam excellenti, & seclusis imperfectionibus, præstat in ratione exemplaris id, quod præstarent ideæ, realiter ab invicem distinctæ, & propriæ singulorum entium, quæ producuntur à Deo. Hinc cum fundamento in re logicè & per conceptus præcise dividitur in tot ideas rerum proprias, quot sunt in singulari opera à Deo condita. Hinc de ideis divinis loquuntur Patres in plurali numero, ut v. gr. S. Augustinus loco citato, ubi sic loquitur: *Sunt namque ideæ principales forme quadam, vel rationes rerum, stabiles atque incommutabiles, quæ ipsæ formate non sunt, ac per hoc æternæ, ac semper eodem modo sese habentes, quæ in divina intelligentia continentur, & cum ipsa neque oriuntur, neque intereant, secundum eas tamen formari dicitur omne quod oriri & interire potest, & omne quod oritur & interit.* Et inferius: *Restat ut omnia ratione sint condita: nec eadem ratione homo, quæ equus: hoc enim absurdum est existimare. Singula igitur propriis sunt creaturarum rationibus. Has autem rationes, ubi arbitrandum est esse, nisi in ipsa mente creatoris: non enim extra se quidquam positum intuebatur, ut secundum id constitueret quod constitueret: nam hoc opinari sacrilegum est.* Quæ omnia apertissime quadrant essentia divina, ut est ipsa plenitudo essendi, & perfectionum omnium complexio; in ea enim, quæ tali, Deus modo quodam eminenti habet ideas rerum omnium, quas facit, proprias, stabiles atque incommutabiles, quæ formate non sunt, ac per hoc æternas, & eodem semper modo sese habentes; quæ continentur in divina intelligentia non solum per representationem, sed per identitatem summam, & quarum participatione, ut ait paulò inferius S. Doctor, fit, ut sit quidquid est, quoquo modo est. Unde Deus, cum mundum conderet, non extra se quidquam positum, sed se ipsum intuebatur, ut secundum hoc divinum atque perfectissimum exemplar constitueret quod constitueret.

Quæres, utrum Deus habeat in essentia sua ideas rerum omnium, quas cognoscit, etiam earum, quas non facit. R. breviter. Res illæ, quas cognoscit, sed nunquam facturus est, vel sunt ab illo factibiles, vel non. Si primum. Deus habet in essentia sua illarum ideas in actu primo, non in actu secundo, hoc est, essentia divina posset quidem esse illarum idea, non est tamen propriè loquendo, quia idea simpliciter & propriè loquendo, est actuale principium effectiōis pro aliqua differentia temporis. Si secundum. Habet tantum in essentia sua illarum rationem, quatenus essentia divina ut præcognita, est Deo ratio cognoscendi illas, aut aliquid aliud, in quo immediate cognosci debent. Quod addo propter negationes

& privationes, quæ immediatè cognoscuntur in positivo, cuius sunt negationes aut privationes, & cuius perfectissimam quandam similitudinem Deus habet in essentia sua. Vide S. Thomam hic art. 3.

XX

DISPUTATIO VI.

De Voluntate divina.

ARTICULUS I.

Utrum in Deo sit voluntas, an libera sit, & circa quæ.

RESPONSIO I.

Deus habet voluntatem.

Prob. Voluntas est facultas appetendi bonum & averfandi malum, intellectualiter cognitum. Atqui Deus tali facultate carere non potest: est enim perfectio melior ipsa, quam non ipsa, & eminentissimus vitæ gradus, quo proinde carere non potest ens, quo nihil melius esse vel cogitari potest. Ergo, &c. Deus autem habet voluntatem sine imperfectionibus, quibuscumque habent, aut habere dicuntur creaturæ intellectuales. Nam 1. Voluntas divina non distinguitur realiter ab actibus suis, aut à substantia divina; cum realis distinctio repugnet simplicitati divinæ. 2. Voluntas divina est essentialiter recta & impeccabilis. Sanctitas enim est perfectio simpliciter simplex, qua proinde Deus carere non potest. 3. Voluntas divina est planè immutabilis, ut patet ex dictis suo loco de immutabilitate divina.

RESPONSIO II.

Deus habet voluntatem & à coactione & à simplici necessitate immunem circa omnia, quæ operatur ad extra.

Prima pars, nempe quod Deus habet voluntatem immunem à coactione, &c. clara est. Nam coactio est violenta ad unum determinatio, causata ab agente extrinseco. At nullum est agens extrinsecum, à quo Deus pati violentiam possit. Prob. ergo 2. pars, nempe quod Deus habeat voluntatem immunem à simplici necessitate circa, &c. 1. ex Script. Nam Ephes. cap. 1. dicitur de Deo: *Operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* 2. ex S. Ambrosio lib. 1. de fide cap. 2. ubi ait: *Omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis, prout vult... hoc est, pro libera voluntatis arbitrio, non pro necessitatis obsequio.* Et ex S. Augustino lib. 22. de Civ. cap. ult. *Deus ipse nunquid quia peccare non potest, ideo liberum arbitrium, inquit, habere negandus est?* 3. Ratione. Nam Deus agit ad extra modo perfectissimo. Ergo agit ad extra per intellectum & voluntatem. Ergo per voluntatem aut necessariò aut liberè volentem. Non per voluntatem necessariò volentem: cum enim sibi sit sufficientissimus, & ita nullo ex iis, quæ sunt extra se, indigeat ut sit aut bene sit, non potest velle necessariò quidquam ex iis, quæ sunt extra se. Ergo per voluntatem volentem liberè & sine antecedenti ad volendum determinatione. Vide S. Thomam hic q. 19. art. 3.

RESPONSIO III.

Voluntas divina libera est libertate contradictionis & specificationis, non libertate contrarietatis.

Prob. Nam 1. Deus habet facultatem volendi vel non volendi alia à se: potuit enim pro arbitrio velle vel non velle productionem mundi. 2. Deus habet facultatem se ipsum determinandi ad bonum aliquod, vel ad aliud, aut contrarium, aut diversum & incompossibile: potest enim pro arbitrio v. g. parcere peccatoribus, vel illos punire. 3. At non potest se ipsum determinare ad bonum vel ad malum, cum sit essentialiter impeccabilis.

Obj. 1. Voluntas manifestandi perfectiones suas, ac proinde communicandi se creaturis, est perfectio in Deo.

Deo. Ergo Deus necessariò manifestat perfectiones suas, & communicat se creaturis. *R.* Voluntatem illam esse perfectionem in Deo, non intensivam, sed extensivam tantum. Sicut enim manifestatio perfectionum divinarum addita ipsis perfectionibus divinis, non facit aliquid intensivè majus in ratione boni; quia bonum creatum, quantumcumque multiplicetur, additum bono increato, non facit, nec facere potest aliquid intensivè melius, quàm solum bonum increatum: ita actus, quo Deus vult manifestare perfectiones suas, additus actui, quo perfectiones illas sibi vult, non facit aliquid intensivè majus in genere laudabilitatis, sed solum extensivè, quatenus tunc duplici quidem titulo laudabilis est, videlicet, & quia vult sibi perfectiones suas, & quia vult manifestare illas: at tunc non est laudabilior, quàm si solum vellet sibi perfectiones suas, & nollet illas manifestare, & creaturis communicare: imò adhuc esset duplici pariter titulo intrinsicè laudabilis, & quia vellet sibi perfectiones suas, & quia nollet eas manifestare & communicare creaturis. Actus enim, quo Deus nollet perfectiones suas communicare creaturis, tantam haberet laudabilitatem, quantam habet actus, quo vult illas communicare, quia tantum haberet honestatis, & esset actus ejusdem virtutis, & imperatus ab infinita illa complacentia, qua Deus sibi in bono suo intrinsicè complacet. Unde manifestè sequitur Deum, si vellet siue nollet manifestare perfectiones suas, æquè perfectum esse non solum intensivè, sed etiam extensivè, proindeque voluntatem manifestandi perfectiones suas non magis illi necessariam esse, & necessariò inesse, quàm voluntatem oppositam. Unde *N.* conseq.

Dices. Ergo dantur in Deo perfectiones aliquæ, quæ sunt contingentes. *R.* dist. Dantur in Deo perfectiones aliquæ intensivæ & simpliciter simplices, quæ sunt contingentes, *N.* ant. Deus enim omnes ejusmodi perfectiones, sine quibus scilicet aut non esset, aut non bene esset, summa necessitate in se complectitur. Dantur in Deo perfectiones aliquæ non simpliciter simplices, & extensivæ tantum, quæ sunt contingentes. Subdist. Quæ sunt contingentes contingentia propria creaturarum, *N.* Contingentia propria Dei, quæ nullam involvit imperfectionem, imò summam in Deo perfectionem supponit, *C.*

Duplex igitur distinguenda est perfectio contingens; una quæ sic est indifferens ad esse & non esse, ut possit transire à non esse ad esse, & ab esse ad non esse; & hæc contingentia propria est creaturarum, quæ proinde mutationi obnoxia sunt, in quo magna est imperfectio; altera quæ sic est indifferens ad esse & non esse, ut vel nunquam sit, vel si sit, ab æterno & pro æterno sit; unde contingens dicitur, non quia transire potest à non esse ad esse, aut ab esse ad non esse; sed quia non est necessaria, & ex hypothesi quodd sit, sic est ab æterno & pro æterno, ut potuerit non esse. Hoc pacto contingentes sunt aliquæ perfectiones in Deo, quæ sunt perfectiones secundum quid, & extensivæ tantum, nempe volitiones liberæ, & cognitiones non necessariae; sic enim sunt in Deo ab æterno & pro æterno, ut potuerint non esse; sed ex hypothesi quodd sint, non possunt non esse ab æterno & pro æterno. Quidquid enim Deus liberè vult, ab æterno & pro æterno vult, & quidquid cognoscit etiam non necessariò, ab æterno & pro æterno cognoscit. Unde nulla mutabilitas argui potest in Deo ex perfectionum illarum contingentia. Imò hæc contingentia fundatur in summa aliqua perfectione divina. Nam Deus, quacumque vult extra se, liberè vult, & ita vult, ut posset non velle, quia sibi sufficientissimus est, quia summè independens est à rebus omnibus creatis, quia summum habet in illas dominium, quia siue vellet aliquid extra se, siue non, semper summè perfectus est & laudabilis. Item cognoscit contingenter res aliquas ita se habere, quia res illæ ita se habent contingenter, & sic ita se habent, ut possent aliter se habere, & si aliter se haberent, non posset non cognoscere illas aliter se habere,

re, propter summam perfectionem intellectus divini ex se summè completi & determinari ad cognoscenda omnia ut sunt. Quod si cognosceret illas aliter se habere, quia scilicet aliter se haberent, non inde magis aut minus perfectus evaderet; ita enim per actum suum necessariò perficitur, ut intendi non possit ejus perfectio & laudabilitas; sicut nec voluntatis perfectio & laudabilitas intendi potest, quia summè perficitur, & laudabilis efficitur per actum suum necessariò, nempe per summam illam charitatem, qua Deus se ipsum necessariò diligit, sibi quæ cum infinita complacentia vult omne bonum intrinsicè, sine quo aut non esset, aut non bene esset.

Dices. Perfectiones illæ, quamvis extensivæ tantum, sunt realiter ipsa essentia divina: sunt enim divina. Atqui essentia divina non est indifferens ad esse & non esse: cum sit summè necessaria. Ergo perfectiones illæ, quamvis extensivæ tantum, non sunt indifferentes ad esse & non esse, proindeque non sunt contingentes, sed summè necessariae. *R.* dist. maj. Perfectiones illæ sunt ipsa essentia divina simpliciter & sine addito, *n.* maj. Sunt ipsa essentia divina secundum quid, & cum addito, *cap.* maj. Sunt enim essentia divina ut se ipsa tendens vitaliter in objectum aliquod creatum. Et dist. min. Atqui essentia divina, sumpta simpliciter & sine addito, non est indifferens ad esse & non esse, *cap.* min. Sumpta secundum quid & cum addito, nempe quæ se ipsa vitaliter tendens in aliquod objectum creatum, quod Deus vult esse, aut quod esse cognoscit, *n.* min. Nam v. g. essentia divina ex se indifferens est, ut sit vel non sit volitio mundi, ut sit vel non sit perceptio mundi futuri: Deus enim liberè decrevit mundum producere, & mundus ita fuit futurus, ut potuerit non esse futurus. Divina igitur essentia tam potuit esse ab æterno & pro æterno nolitio mundi, quàm fuit volitio illius: item tam potuit esse ab æterno & pro æterno perceptio mundi non futuri, quàm fuit perceptio futuri. Unde *N.* conseq. vel, si vis, *Dist.* Ergo perfectiones illæ non sunt indifferentes ad esse & non esse secundum entitatem, *cap.* conseq. Nam non aliam habent entitatem, quàm divinam, quæ summa necessitate existit: sunt enim ipsa substantia divina etiam in recto. Non sunt indifferentes ad esse & non esse secundum modum seu tendentiam, quam dicunt supra substantiam divinam, præcisè sumptam, *n.* conseq. Nam substantia divina ex se indifferens est, ut sit vel non sit modus ille seu tendentia: est enim ex se indifferens, ut sit vel non sit (supple semper, ab æterno & pro æterno) v. g. volitio mundi, vel nolitio illius. Unde perfectiones illas esse contingentes, & indifferentes ad esse & non esse, non est aliud, quàm substantiam divinam posse per se ipsam tali modo vel opposito sese habere ab æterno & pro æterno circa tale objectum creatum, per se ipsam vitaliter tendendo in illud tali modo, vel opposito; in quo nullum est inconveniens, tum quia hoc nullam mutabilitatem importat in Deo, tum quia multiplicem in Deo supponit perfectionem, quæ melior est ipsa, quàm non ipsa, ut manifestum est ex dictis.

Dices. Deus essentialiter habet aliquo modo omnes perfectiones posibles. Ergo essentialiter habet aliquo modo voluntatem communicandi se creaturis: nam hæc voluntas est maxima perfectio; est enim actus virtutis excellentissimus. Ergo, quod idem est, Deus non potest non velle communicare se creaturis. *R.* reverà Deum, cum sit plenitudo essendi, habere aliquo modo perfectiones omnes posibles, formaliter quidem perfectiones simpliciter simplices; eminenter & virtualiter perfectiones, quæ aliquam in suo conceptu involvunt imperfectionem; formaliter vel æquivalenter perfectiones, quæ nullam quidem in suo conceptu includunt imperfectionem, sed sunt incompossibiles cum aliâ æquali. Talis est respectu Dei voluntas manifestandi se creaturis: nam Deus vel vult, vel non vult manifestare se creaturis. Si primum. Habet hanc perfectionem formaliter. Si secundum.

Habet

Habet hanc perfectionem æquivalentem, seu, quod idem, non habet quidem illam, sed habet aliquid illi æquivalens in ratione perficientis: voluntas enim manifestandi se creaturis tantam Deo conferret laudabilitatem intrinsicam, quantum illi voluntas manifestandi se creaturis, confert.

Obj. 2. Voluntas divina nunquam potuit non habere actum illum, quo vult alia à se. Ergo, &c. *R. n. ant. Prob. ant.* Non potest assignari ulla pars virtualis æternitatis, pro qua potuerit non habere actum illum: cum enim in æternitate non detur prima pars virtualis, sicut nec ultima, quia æternitas ex utraque parte illimitata est, non potest assignari ulla pars virtualis in æternitate, ante quam non fuerit alia, & ita non potest assignari ulla pars virtualis æternitatis, ante quam non existerit actus ille, & consequenter pro qua actus ille propter divinam voluntatis immutabilitatem jam non possit non esse. Ergo, &c. *R. Concesso antecedente, & ejus probatione, N. conseq.* Quamvis enim voluntas divina propter suam immutabilitatem non potuerit non habere actum illum, quo vult alia à se, non potuerit, inquam, non habere pro ulla parte virtuali æternitatis scorsim ab aliis sumpta: at, quod sufficit, potuit non habere pro omnibus simul sumptis, seu pro tota æternitate: cum enim ante totam æternitatem, seu ante omnes partes virtuales æternitatis collectivè sumptas non sit aliqua alia pars virtualis prior, pro qua jam fuerit actus, quo voluntas divina vult alia à se, dici non potest, quod propter immutabilitatem divinam actus ille non potuerit non esse pro tota æternitate, seu pro omnibus partibus virtualibus æternitatis collectivè sumptis.

Dices. Voluntas divina habet actum illum pro tota æternitate. Ergo non potest non habere pro tota æternitate. *R.* hanc impotentiam consequi exercitium libertatis divinæ, & ita non impedire, sed è contra supponere libertatem actus divini. Itaque ex hypothesi quod voluntas divina habeat actum illum pro tota æternitate, non potest non habere illum pro tota æternitate, quia repugnat voluntatem divinam simul habere & non habere actum illum. At illum habet, quia se ipsa determinat, non quia aut ex se aut aliunde determinata est. Unde sic habet illum pro tota æternitate, ut ad illum habendum vel non habendum sit activè indifferens prius natura & causalitate virtuali, quam illum habeat.

ARTICULUS II.

Quid actus liber superaddat voluntati divinæ.

Circa hanc difficultatem, quæ magna contentione inter Scholasticos agitur, quid nobis videatur sentiendum, sequentibus Propositionibus quanta fieri poterit brevitate exponemus.

PROPOSITIO I.

Actus liber dicit aliquid supra voluntatem divinam, & actum ejus necessarium.

Prob. Nam Deus nec intelligitur, nec est liberè volens v. g. productionem mundi, ex eo præcisè quod potest velle producere mundum, aut habet actum, quo sibi necessariò complacet in possibilitate mundi. Ergo, &c.

PROPOSITIO II.

Actus liber aliquid intrinsicè dicit supra voluntatem divinam, & actum ejus necessarium.

Prob. Nam dicit aliquid supra utrumque (ex Prop. 1.) Ergo vel extrinsecum, vel intrinsicè. Non primum. Nam si superaddit aliquid extrinsecum, vel superaddit ut est actus, vel ut est liber. Neutrum dici potest. Non primum. Nam actus vitalis est adequare intrinsicè potentiam vitali à qua est, & cujus est. Non etiam secundum. Nam actus vitalis hoc ipso

liber est, quod est à potentia vitali, non determinata ad unum antecedenter, seu, quod idem est, à potentia vitali activè indifferenti ad utrumlibet. Faciendum igitur est, quod actus liber superaddat aliquid intrinsicè, &c.

PROPOSITIO III.

Actus liber dicit supra voluntatem divinam, & actum ejus necessarium, aliquid intrinsicè, ab utroque ratione distinctum.

Prob. Nam superaddit utrique aliquid intrinsicè (ex Prop. 2.) Ergo vel realiter, vel ratione distinctum. Non primum. Alioqui datur in Deo compositio realis ex substantia & accidente. Ergo secundum.

PROPOSITIO IV.

Actus liber dicit supra voluntatem divinam, & actum ejus necessarium, meram tendentiam vitalem liberam in objectum aliquod.

Prob. Nam actus liber superaddit voluntati & actui ejus necessario aliquid intrinsicè, ratione tantum distinctum ab utroque. At intrinsicè illud non potest aliud esse, quam pura tendentia vitalis libera in objectum, quod vult, vel non vult voluntas divina. Ergo, &c. In hoc igitur actus necessarius & liber conveniunt, quod uterque sit pura tendentia vitalis voluntatis divinæ in objectum aliquod; & in eo differunt, quod actus necessarius sit vitalis tendentia divinæ voluntatis, antecedenter ad unum determinatæ, & actus liber sit tendentia vitalis divinæ voluntatis, ut activè indifferens ad utrumlibet.

PROPOSITIO V.

Actus liber superaddit voluntati divinæ modum purum, contingentem, & ab ea distinctum distinctione rationis inadequata.

Prob. 1. Superaddit modum: nam tendentia, quam superaddit, est modus divinæ voluntatis: cum per illam divina voluntas activè se habeat sic ad objectum, quod vult, vel non vult. 2. Modum purum: nam tendentia illa sola ratione distinguitur à voluntate divina. 3. Modum contingentem: nam tendentia illa est voluntati divinæ libera, & voluntas sic tendit in objectum ab æterno, ut posset aliter ab æterno tendere. 4. Modum distinctum distinctione rationis inadequata: nam tendentia illa est etiam in sensu formali voluntas divina, non quidem simpliciter, sed cum addito: est enim etiam formaliter voluntas se habens sic ad objectum. Unde voluntas divina tendens, & tendentia voluntatis divinæ non differunt inter se, nisi ut concretum & abstractum metaphysicum, purè ut homo & humanitas, quæ ratione distinguuntur inter se, non ex parte objecti; quid enim est formaliter in homine, quod non sit in humanitate; aut in humanitate, quod non sit in homine? sed ex parte actus tantum, quatenus idem etiam formaliter, uno conceptu representatur per modum habentis, & altero per modum habiti. Unde tendentia divinæ voluntatis, & voluntas divina tendens, sunt idem planè ex parte objecti etiam in sensu formali, nec differunt inter se, nisi penes intellectum. Idem planè tum re tum ratione ex parte objecti, representantis diversimodè, uno scilicet conceptu per modum habiti, & altero per modum habentis. Unde tendentia voluntatis divinæ non aliter distinguitur ex parte objecti à voluntate divina, præcisè sumpta, quam voluntas divina, præcisè sumpta, à voluntate divina, per se ipsam se habente sic ad objectum. Voluntas autem divina, per se ipsam se habens sic ad objectum, à voluntate divina, præcisè sumpta, non distinguitur, nisi distinctione rationis inadequata, sive secundum illud, sic se habere, quod superaddit voluntati divinæ præcisè sumptæ. Tendentia igitur divinæ voluntatis non distinguitur à voluntate divina, nisi distinctione rationis inadequata. Hinc tendentia

dentia divina voluntatis non potest præcindi à voluntate divina, quamvis voluntas divina possit præcindi à tendentia sua. Hinc tendentia voluntatis divina est ipsa voluntas divina in recto, licet cum addito; & cum dico actum divinum esse tendentiam divinæ voluntatis, voluntas non est in obliquo, nisi grammaticaliter. Hinc tendentia, quamvis libera & contingens, voluntatis divinæ, non potest dici contingenter identificata divinæ voluntati, quia nihil sibi ipsi identificatur.

Obj. Si actus liber superaddit divinæ voluntati modum intrinsicum & contingentem, est aliquid in Deo, quod potuit non esse. *R.* dist. seq. Quod potuit non esse simpliciter, n. seq. Quod potuit non esse secundum quid, cap. seq. Actus liber est tum re tum ratione voluntas divina per se ipsam se habens sic ad objectum aliquid extrinsecum. Voluntas autem divina non potuit non esse simpliciter, cum sit perfectio summæ necessaria: at potuit non esse secundum quid ab æterno & pro æterno, quatenus per se ipsam sic se habet ab æterno & pro æterno ad objectum aliquid extrinsecum, ut potuerit ad illud se habere aliter & modo opposito ab æterno & pro æterno, quia nimirum sic per se ipsam tendit in illud ab æterno & pro æterno ex propria determinatione, & cum indifferentia activa ad utrumlibet.

Dices. Modus ille, quem superaddit actus liber, est ipse Deus, & consequenter est ens à se, ens summè necessarium. Ergo non potest esse aliquid contingens. *R.* dist. ant. Modus ille est ipse Deus simpliciter, N. ant. Est ipse Deus cum addito, hoc est, ipse Deus per se ipsum sic tendens in objectum aliquod, C. ant. & N. conseq. cum Deus ab æterno & pro æterno liberè sic tendat in objectum illud, & ita sic in illud tendat, ut posset aliter tendere ab æterno & pro æterno. Ex quo non sequitur, quod Deus sit ens contingens, sed tantum quod per se ipsum contingenter se habeat sic ad alia à se. In quo nullum est inconveniens; cum hoc non obstante, adhuc sit ens à se, ens summè necessarium, seu summa necessitate existens, ens immutabile, ens illimitatum in omni genere perfectionis, ens quo nihil melius esse vel cogitari potest, ipsa denique essendi plenitudo, in se summa necessitate continens perfectiones omnes possibiles omni modo, quo possideri possunt, seculis imperfectionibus, & cum ea eminentia, quæ supremum ens decet, ut facile intelligi potest ex dictis Articulis superiori.

ARTICULUS III.

Utrum omnes actus divine voluntatis sint honesti & laudabiles.

RESPONSIO I.

Nullus actus divinæ voluntatis potest esse malus moraliter. Est de fide.

Prob. 1. ex Script. Nam dicitur Deuter. c. 32. *Deus fidelis, & absque ulla iniquitate, iustus & rectus.* Et Psalm. 144. *Iustus Dominus in omnibus viis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.* 2. Ratione. Quia Deus essentialiter habet summam sanctitatem: nam summa sanctitas est de ratione entis, quo nihil melius esse & cogitari potest. Sed summa sanctitas dicit summam impeccabilitatem, quæ cum peccato stare non potest. Ergo, &c.

Obj. Ad rationem perfectæ libertatis pertinet potentia peccandi vel non peccandi. Atqui Deus est perfectè liber. Ergo, &c. *R.* neg. maj. Nam, ut rectè ait S. Thomas hic q. 62. art. 8. ad 3. *Quod liberum arbitrium diversa eligere possit servato ordine finis, hoc pertinet ad perfectionem libertatis ejus. Sed quod eligat aliquid divertendo ab ordine finis, quod est peccare, hoc pertinet ad defectum libertatis. Unde major libertas arbitrii est in Angelis, qui peccare non possunt, quam in nobis, qui peccare possumus.* Igitur absoluta impeccabilitas non impedit, sed perficit libertatem Dei, qui quidem non peccando non

potest habere laudabilitatem moralem; quam habet is, qui non peccat, cum peccare potest; at ex eo quod non possit peccare, habet laudabilitatem physicam longè præstantiorem laudabilitate morali, quæ caret non peccando, & quæ magnam in agente libero supponit imperfectionem, nempe peccabilitatem: unde non est perfectio, nisi secundum quid.

RESPONSIO II.

Nullus actus voluntatis divinæ potest esse indifferens in individuo.

Prob. Nam summa voluntatis divinæ sanctitas præter summam impeccabilitatem includit summam indefectibilitatem: alioqui non esset summa sanctitas, quia non esset id, quo nihil melius esse vel cogitari potest in ratione sanctitatis. Ergo voluntas divina est absolute incapax omnis defectus morales. Atqui actus indifferens in Deo esset defectus moralis in Deo. Ergo, &c. *Prob. subs.* Ille actus est defectus moralis, propter quem aliquo modo vituperabilis est is, qui illum facit: nemo enim jure vituperatur, nisi propter defectum aliquem sibi voluntarium, ac proinde moralem. Atqui Deus aliquo modo vituperabilis esset propter actum pure indifferentem: actum enim minus perfectum tunc eligeret, relicto perfectiori, nempe honesto, & quidem sine causa; quam enim habere posset? & ita absque causa privaret se morali aliqua perfectione, quam posset habere, idem objectum sed meliori modo volendo. Ergo, &c.

Porro eadem ratione demonstratur voluntatem divinam, ex hypothese quod vellet aliquid circa creaturas, illud necessariò velle, 1. ex motivo honesto; quia si vellet ex motivo indifferenti, absque causa privaret se aliqua perfectione morali, quam posset habere, & ita moraliter deficeret, & esset aliquo modo vituperabilis. 2. Ex motivo summè honesto; quia si vellet ex motivo minus honesto, tam verè deficeret moraliter, quam si vellet ex motivo indifferenti: tam verè enim vituperari potest, qui absque causa privat se in agendo majori aliqua perfectione morali, quam posset habere, quam qui gratis privat se simpliciter aliqua perfectione morali, quam habere posset. Hinc bonitas divina, propter se amata, est necessarium motivum primum & ultimum omnium omnino actuum liberorum voluntatis divinæ: est enim motivum summè honestum, quo inferius est omne aliud, quantumvis honestum sit.

RESPONSIO III.

Omnes actus divinæ voluntatis habent infinitam simpliciter honestatem, & sunt æqualiter honesti, etiam prout virtualiter inter se distinguuntur.

Prob. 1. pars. Nam omnes actus divinæ voluntatis, etiam prout virtualiter inter se distinguuntur, habent motivum in ratione honesti simpliciter infinitum, & perfectè amatum, quantum meretur ejus honestas, nempe bonitatem divinam, comprehensivè amatam propter se. Ergo, &c. Secunda pars sequitur ex prima. Nam si omnes actus voluntatis divinæ sunt honestatis simpliciter infinitæ, etiam prout virtualiter inter se distinguuntur, non possunt, etiam prout virtualiter inter se distinguuntur, non esse perfectè æquales in ratione honesti, quia perfectè infinito in aliqua ratione non potest dari aliquid melius & perfectius in eadem ratione. Nec obstat, quod actus illi, prout virtualiter inter se distinguuntur, sint actus diversarum virtutum inæqualium: nam omnes ex æquo habent pro motivo primario & ultimo bonitatem divinam perfectissimè & comprehensivè dilectam propter se, & ita omnes ex æquo accipiunt ab illa honestatem simpliciter infinitam. Infinitum autem etiam ab alio infinito in eadem ratione superari non potest. Quod si actus illi considerentur præcisè ut sunt actus virtutum inæqualium, erunt quidem inæquales præcisè, hoc est, præcipient ab æqualitate, quam habent in ratione honesti; at non erunt inæquales positivè, quia propter motivum commune charitatis perfectissimæ, à quo in ratione honesti simpliciter

infui-

insinuantur, neque honestas illius, qui versatur circa virtutem specialem praestantior, crescit, neque honestas alterius, qui versatur circa virtutem specialem minus praestantem, decrevit. Unde propter motum commune, quod habent, sunt inter se necessarii perfectissimi aequales. Ex his patet responsio ad ea, quae obijci possunt.

RESPONSIO IV.

Quamvis omnes actus divinae voluntatis sint aequaliter honesti, & ita voluntas divina non possit eligere inter actus magis vel minus honestos; tamen omnes illi actus, quibus vult aliquam Dei gloriam intrinsecam, cum posset velle minorem, habent veram laudabilitatem, non solum physicam, sed etiam moralem.

Et 1. quidem quod habeant saltem laudabilitatem physicam, patet ex eo quod sunt honesti & boni: imò cum habeant bonitatem & honestatem simpliciter infinitam, non possunt non habere simpliciter infinitam laudabilitatem physicam. 2. Quod habeant etiam laudabilitatem moralem, prob. Nam qui libere & honeste eligit majus bonum, cum posset eligere minus, hoc ipso laudabilis est in genere moris, & dignus premio, si habet superiorem, à quo premiari possit. Atqui Deus volendo majorem gloriam suam extrinsecam, cum posset velle minorem, honeste & libere eligit majus bonum, relicto minori, quod posset velle. Ergo Deus volendo majorem gloriam suam extrinsecam, cum posset velle minorem, verè laudabilis est in genere moris: imò cum volendo majorem gloriam suam extrinsecam, velit illam per actum infinitè simpliciter honestum, volendo majorem gloriam suam extrinsecam, infinitè simpliciter laudabilis est in genere moris. Ergo, quod idem est, omnis actus, quo Deus vult majorem suam gloriam extrinsecam, cum minorem velle posset, habet veram laudabilitatem in genere moris, eamque simpliciter infinitam. Ex his,

Collige 1. omnes actus liberos, quibus Deus vult aliquam gloriam suam extrinsecam, cum posset velle minorem, esse aequaliter inter se laudabiles in genere moris; cum omnes laudabilitatem in genere moris simpliciter infinitam habeant. 2. Deum volendo producere tot creaturas, quot re ipsa decrevit producere, & non plures, atque producendo, tantam gloriam suam extrinsecam procurare, & non majorem, summè laudabilem esse in genere moris, quia potuit velle producere pauciores, & producendo, minorem gloriam suam extrinsecam procurare. Unde non esset laudabilior, volendo longè plures creaturas producere, quam re ipsa producit, & producendo, majorem gloriam suam extrinsecam procurare, quam re ipsa procurat: sicut non esset minus laudabilis, volendo producere longè pauciores creaturas, & producendo, longè minorem gloriam suam extrinsecam procurare; quia tandiu infinitam simpliciter, ac proinde summam in genere moris laudabilitatem habet, quandiu posset velle aliquid minus eo quod vult. Sed ad volutionem aliquarum difficultatum,

Nota. Triplex est laudabilitas in genere moris. Prima fundatur in libertate bene vel male agendi. Hanc laudabilitatem habet, qui bene agit, cum posset male agere. Secunda fundatur in libertate agendi magis vel minus honestè. Hanc laudabilitatem habet, qui magis honestè agit, cum posset minus honestè agere. Tertia fundatur in libertate eligendi alterutrum ex duobus objectis inaequaliter bonis. Hanc laudabilitatem habet, qui per actum honestum vult bonum majus, cum posset velle minus. Prima & secunda laudabilitas, cum supponant imperfectionem aliquam in subiecto suo, locum habere non possunt in Deo. Tertia verò nullam dicit imperfectionem, unde locum habet in Deo, qui proinde capax est laudabilitatis moralis, & quidem infinitae simpliciter in sua ratione, quia liberam habet facultatem ex duobus objectis inaequaliter bonis alterutrum eligendi, & ita per actum infinitè simpliciter honestum,

bonum majus minori libere preferendi. Ex his autem,

Collige, quod actus, quo Deus vult minimam gloriam suam procurare, ita ut non posset velle minorem, & à fortiori, quo nullam gloriam suam extrinsecam procurare vellet, non haberet laudabilitatem in genere moris, & sic tunc Deus nullatenus in genere moris laudabilis esset. In quo non est inconveniens, tum quia actus ille adhuc esset infinitè simpliciter honestus, & sic Deus propter illum haberet laudabilitatem physicam simpliciter infinitam; tum quia laudabilitas moralis nihil perfectionis superaddit laudabilitati physicae, sed solum dignitatem ad premium in subiecto capaci, qualis nec est, nec potest esse Deus, qui superiorem, aut saltem aequalem habere non potest, à quo premiari possit. Ex quibus apparet, quam liberum fuerit Deo sine ullo perfectionum suarum dispendio velle vel nolle producere creaturas aliquas.

ARTICULUS IV.

Quotuplex sit actus divinae voluntatis.

Resp. Actus divinae voluntatis unicus est realiter, sed virtualiter multiplex. Unde cum fundamento in re dividitur logicè in plures actus, & 1. quidem in efficacem & inefficacem. Efficax est ille, quo Deus sic intendit aliquid efficere, ut determinatus sit ad superanda omnia impedimenta. Unde actus efficax impossibilis est cum opposito illius, quod intendit Deus, & semper habet effectum, de eoque dicitur Rom. c. 9. *Voluntati ejus quis resistit?* Et Esther c. 13. *Non est qui possit tua resistere voluntati.* Actus inefficax est ille, quo Deus sic intendit aliquid, ut non sit determinatus ad superandum impedimentum quodlibet; unde compossibilis est cum opposito illius, quod Deus intendit. Talis est actus, quo Deus vult salvare reprobos.

2. Actus divinae voluntatis alius est absolutus, alius conditionatus. Absolutus est ille, qui nullam involvit conditionem ex parte objecti. Talis est actus, quo Deus vult mandata sua servari ab hominibus. Actus conditionatus est ille, qui includit aliquam conditionem ex parte objecti. Talis est actus, quo Deus voluit Israelitas ab hostibus defendere, si mandata ejus observarent, nec Deos alienos colerent. Porro actus absolutus non convertitur cum efficaci: nam omnis quidem actus efficax est absolutus: at non omnis actus absolutus est efficax, ut patet in actu, quo Deus vult mandata sua ab hominibus servari. Saepè tamen nomine actus absoluti intelligitur efficax. Quod est observandum.

3. Actus divinae voluntatis dividitur in antecedentem & consequentem, juxta S. Damascenum, quem sequimur. Antecedens est volitio, quam Deus habet ex se ipso, non expectata occasione vel causa ex parte creaturae. Talis est volitio conditionata salvandi reprobos. Actus consequens est volitio, quam Deus non habet ex se solo, sed data occasione vel causa ex parte creaturae. Talis est volitio absoluta & efficax damnandi reprobos propter impoenitentiam finalem.

4. Actus divinae voluntatis dividitur in voluntatem beneplaciti & voluntatem signi. Voluntas beneplaciti est quaelibet volitio vera & propria dicta, quae verè & propria est in Deo. Voluntas signi non est volitio, sed signum volitionis. Varia autem signa divinae volitionis enumerantur, ex quibus sunt quinque, ad quae caetera facillè revocantur, & comprehenduntur hoc versiculo:

Præcipit, aut prohibet, permittit, consulit, implet. Præceptum significat volitionem absolutam & obligantem ad aliquid faciendum: prohibitio volitionem absolutam & obligantem ad aliquid omitendum: consilium non voluntatem obligantem, sed tantum simplicem affectum Dei, & desiderium, ut aliquid præ alio eligatur tanquam bonum melius. Permissio vel

vel est ejus, quod nec præcipitur, nec prohibetur, nec consulitur ut melius, sed est licitum; vel est ejus, quod Deus potest impedire, & tamen non impedit, sed patitur fieri, quamvis sit malum & illicitum. Si primum. Significat voluntatem non repugnantem. Si secundum. Significat tantum voluntatem non denegandi concursum generalem, & non impediendi ne fiat. Impletio denique, sive executio, significat voluntatem faciendi id, quod Deus facit, vel concurrendi ad id, quod à creatura fit.

5. Actus divinæ voluntatis alii versantur circa Deum, alii circa possibilia, alii circa existentia, &c. Item alii sunt necessarii, alii liberi. Item alius est intentio finis, alius electio mediorum, & alius usus, seu executio. Item alius est immediatus, ut actus quo Deus se ipsum amat propter se ipsum, & alius mediatum, ut actus quo Deus amat creaturas, quia se ipsum amat. Item alius est amoris, alius odii, &c. de quibus nunc breviter agendum.

ARTICULUS V.

Utrum in Deo sit amor, & circa quæ.

RESPONSIO I.

Deus amat se ipsum necessariò & comprehensivè. 1. Deus amat se ipsum necessariò: nam summum bonum, clarè visum, necessitat ad amorem sui. Atqui Deus est summum bonum, & clarè se ipsum videt. Quod utrumque suo loco probatum est. Ergo Deus simpliciter necessitat ad sui amorem. Ergo, &c. *Prob. maj.* Si summum bonum, clarè visum, non necessitat ad amorem sui, posset cogitari aliquid præstantius, & potentius ad rapiendas voluntates in sui amorem, illud videlicet bonum, quod clarè videntem ita raperet, ut simpliciter necessitaret eum ad amorem sui. Absurdum conseq. Repugnat enim posse cogitari aliquid summo bono excellentius, & potentius ad rapiendas in sui amorem voluntates: nam repugnat cogitari aliquid bonum majus summo bono, quale necessariò esset illud, quod ad rapiendas voluntates excellentius & potentius esset. Ergo &c.

2. Deus amat se ipsum comprehensivè: nam 1. tantam habet vim se ipsum amandi, quantam habet amabilitatem. 2. Tam perfectè cognoscit hanc suam amabilitatem, quam cognoscibilis est. Ergo amor, quo Deus se ipsum amat, perfectè adequatur amabilitati divinæ. Atqui amor comprehensivus dicitur ille, qui amabilitati objecti perfectè adequatur; sicut cognitio comprehensiva dicitur illa, quæ perfectè adequatur objecti cognoscibilitati. Ergo amor, quo Deus se ipsum amat, comprehensivus est.

RESPONSIO II.

Deus amat etiam necessariò omnia possibilia amore complacentiæ.

Prob. Deus necessariò amat se ipsum. Ergo necessariò sibi complacet in omnibus suis perfectionibus. Ergo necessariò sibi complacet in omnipotentia sua. Ergo necessariò sibi complacet in eo quod producere potest hæc, & ista, & illa, &c. Sed hoc est Deum sibi necessariò complacere in rebus possibilibus. Ergo, &c. Præterea, Deus sibi necessariò complacet in essentia sua ut participabili & imitabili ad extra pluribus & pluribus in infinitum modis. Ergo necessariò sibi complacet in creaturis pluribus & pluribus in infinitum, quæ sunt possibiles quædam participationes & imitationes essentia divinæ. Nam essentia divina, quæ participabilis & imitabilis, & creaturæ, quæ participationes & imitationes essentia divinæ, sunt duo sic inter se connexa, ut qui unum amat, non possit non amare aliud; sicut qui unum clarè videt, non potest aliud non clarè videre.

RESPONSIO III.

Deus amat creaturas existentes, quæ tales, sed amore libero,

1. Amat illas. Nam Sap. c. 11. dicitur Deo: *Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti.* Et ratio est, quia amare, amore scilicet efficaci, & bene velle, vel sunt unum & idem, vel saltem connexa sunt. Atqui Deus bene vult creaturis existentibus, quæ talibus, dando scilicet illis esse, illudque conservando. Ergo, &c. 2. Amat illas amore libero. Nam Ephes. c. 1. de Deo dicitur: *Operatur omnia secundum consilium voluntatis sue.* Et ratio est, quia, cum Deus sibi sit sufficientissimus, nec ullo alio extra se indigeat, ut sit, vel ut bene sit, liberrimus est ad producendas, vel non producendas creaturas, productasque in esse conservandas vel non conservandas, proindeque liberrimus est ad amandas, vel non amandas creaturas amore efficaci, bene illis volendo, illasque producendo & conservando in esse.

Nota. Inter creaturas existentes, aliæ sunt rationales, & aliæ irrationales. Irrationales autem amat Deus tum propter se ipsum, quatenus vult illas esse, quia sunt quadam participationes bonitatis suæ, quam decet participari, & quam amat propter se; unde sic amando creaturas irrationales, illas sibi amat, ut bonum quodam suum extrinsecum, qui amor est concupiscentiæ: tum propter creaturas rationales, quatenus etiam vult illas esse, quia utiles sunt creaturis rationalibus: unde sic amando creaturas irrationales, illas creaturis rationalibus amat, ut bonum ipsarum, qui amor est benevolentia, quo scilicet creaturis rationalibus bene vult, non solum qui amat illas propter bonitatem divinam, amando illas ut excellentem quandam divinæ bonitatis, propter se amare, participationem & manifestationem, sed etiam propter amabilitatem propriam. Quod sequenti responsione probandum est.

RESPONSIO IV.

Deus creaturas rationales existentes amat etiam propter bonitatem & amabilitatem propriam.

Prob. Nam 1. Deus amat creaturas rationales amore charitatis. At amare aliquem amore charitatis, est amare illum propter propriam ipsius bonitatem. Ergo, &c. *Maj. prob.* ex c. 2. ad Ephes. ubi dicitur: *Propter nimiam charitatem suam, quæ dilexit nos.* 2. Iusti sunt amici Dei, ut fides docet. Sed amicus diligit amicum propter intrinsecam amici perfectionem. Ergo, &c. 3. Deus aliqua operatur ad extra, non solum propter se, sed etiam propter creaturas rationales, ut ipse testatur lib. 4. Reg. cap. 19. *Protegam, inquit, urbem hanc propter me, & propter David servum meum.* At si Deus non amaret creaturas rationales, nisi propter se ipsum, nihil operaretur propter illas, sed propter se ipsum tantum. Ergo, &c. Denique quod Deus amet creaturas rationales propter propriam ipsarum amabilitatem, nullam in eo dicit imperfectionem, & imprimis decet divinam bonitatem; cum creaturæ rationales Deum ipsum cognoscere & redamare possint, sinque adoptionis & amicitia divinæ capaces.

Obj. S. Thomas hic quæst. 19. ar. 1. ad 3. docet voluntatem divinam non moveri ab alio, sed à se tantum. Et ar. 2. ad 2. dicit solam Dei bonitatem esse Deo rationem volendi creaturas, quia vult bonitatem suam ut finem, creaturas verò præcisè ut media, quibus scilicet bonitatem suam manifestare potest. R. S. Doctorem benignè interpretandum esse, & his locis loqui de motivo primario & simpliciter ultimo voluntatis divinæ, quod proinde rectè constituit in sola bonitate divina: cum enim Deus semper velit & operetur sanctissimè, semper vult & operatur propter motivum honestissimum, quod est bonitas increata, propter se amata. Unde cum Deus amat creaturam rationalem propter ipsam, sic amat, quia hoc decet bonitatem divinam: similiter cum operatur aliquid in gratiam creaturæ rationalis propter se amata, sic operatur, quia hoc decet bonitatem divinam. Quare bonitas divina, propter se excellentissimè amata, est Deo ratio,

ratio & motivum primum & simpliciter ultimum amandi creaturam rationalem propter bonitatem propriam, & propter eam sic amatam operandi aliquid: sicut est ipsi ratio & motivum primum & simpliciter ultimum volendi vel nolendi quicquid vult vel non vult extra se operari. Hinc omnes actus liberi divinæ voluntatis sunt actus præstantissimæ charitatis; licet non sint omnes ejusdem virtutis specialis actus, sed alius sit actus iustitiæ, alius misericordiæ, &c.

RESPONSIO V.

Deus non amat aequaliter omnia, sed inæqualiter etiam ex parte actus.

Prob. Nam 1. magis æstimativè diligit unum, quàm aliud: cum enim unumquodque objectum æstimer secundum meritum & dignitatem ejus, & inter objecta alia aliis meliora sint, consequens est, ut magis æstimativè afficiatur ad meliora. 2. Magis intensivè per affectum simplicis complacentiæ diligit id, quod magis bonum est & amabile, quia unumquodque placet ei secundum gradum bonitatis & amabilitatis suæ, vel, si vis, secundum gradum, quo participat bonitatem & amabilitatem divinam. 3. Etiam per amorem efficacem magis intensivè diligit unum, quàm aliud, quamvis sint æqualia: nam ex duobus æqualibus uni plus boni vult & facit, quàm alteri: imò ex duobus inæqualibus illud, quod minus est, aliquando amat intensius amore efficaci, quia illi plus boni vult & facit. Sic aliquando minus iusto majora gratiæ beneficia confert, quàm magis iusto. Ergo, &c.

Obj. Deus diligit omnia uno & eodem realiter actu. Ergo diligit omnia aequaliter ex parte actus. *R. neg. consq.* Nam actus ille est virtualiter multiplex, & æquivaler multis actibus realiter distinctis, quorum unus est æstimativè vel intensivè major, quàm alter: unde quatenus æquivaler uni, intensivè major est, quàm quatenus æquivaler alteri: item æstimativè major est, quatenus æquivaler uni, quàm quatenus æquivaler alteri.

Dices. Ergo voluntas divina habet actus inæquales. *R. dist.* Habet in sensu reali, N. Nam in sensu reali habet unicum, æquivalentem, imperfectionibus seclusis, multis actibus realiter distinctis & inæqualibus. Habet in sensu præcisiivo, C. Hoc autem nihil aliud est, quàm voluntatem divinam, sumptam præcisè ut se habet ad objectum minus dignum, esse minus æstimativam, quàm est, si sumitur ut se habet ad objectum dignius; aut sumptam præcisè ut se habet ad unum objectum, esse minus affectivam, quàm est, si sumitur ut se habet ad aliud. In quo non est inconveniens.

Dices. Ergo voluntas divina habet actus finitos saltem in sensu præcisiivo. *R.* hoc esse verum, nec inconveniens. Voluntatem enim divinam habere actus finitos præcisivè, nihil aliud est v. gr. quàm eam sumptam præcisè ut se habet ad hoc vel illud objectum creatum, non esse aliquid positivè infinitum; sed præcindere ab ea infinitudine, quam habet sumpta realiter, & ut est in se, non solum secundum entitatem, quatenus est perfectè infinita in ratione entis, sed etiam secundum quod se habet ad omnia alia objecta creata, tam possibilia quàm existentia, & ad ipsam bonitatem increatam, sub quo respectu est perfectè infinita in ratione æstimantis & complacentis. Nam 1. æstimat bonitatem increatam, in eaque complacet, quantum meretur, & consequenter illam æstimat, in eaque complacet infinitè simpliciter. 2. Objecta alia, quàm possibilia, circa quæ versatur, sunt plura & plura, perfectiora & perfectiora in infinitum, & consequenter ut versatur circa illa simul sumpta, habet gradus complacentiæ & appretiatiōis plures & plures in infinitum non solum extensivè, sed etiam intensivè.

Dices. Imò secundum nos habet actus finitos positivè & realiter. N. *Prob.* Secundum nos sumpta v. gr. ut est ad hunc numero Angelum possibilem, æstimat finitè. *R. dist.* æstimat finitè ratione virtutis, quasi ha-

Simonnet Theol. Tom. I.

beat tantum virtutem finitam æstimandi, N. æstimat finitè ratione objecti, quia scilicet objectum habet tantum finitam æstimabilitatem, Subdist. æstimat finitè per actum realiter distinctum ab aliis, quibus cetera omnia æstimat, N. iterum. æstimat finitè per actum illum, quo cetera omnia æstimat, etiam ipsam bonitatem increatam, quique proinde in ratione æstimantis infinitus est simpliciter, C. Voluntas igitur divina singula objecta creata, tam possibilia, quàm existentia, æstimat finitè, sed per unum & eundem realiter actum, æstimativè infinitum simpliciter. Quod non est, voluntatem habere actus æstimativè, sive secundum modum æstimandi finitos, nisi æquivalenter, seclusis imperfectionibus.

ARTICULUS VI.

Utrum in Deo sit amor specialis erga se ipsum, & an amor ille sit charitatis & benevolentie.

Nota 1. Amor specialis, gaudium, desiderium & spes inter se distinguuntur. Amor specialis & propriè dictus, est affectus quo voluntas adheret bono præcisè quia bonum est. Gaudium est affectus, quo voluntas delectatur de bono, considerato ut præsentis, & in ejus possessione suaviter quiescit. Desiderium est affectus, quo voluntas prosequitur bonum, consideratum ut absens. Spes propriè sumpta, & ut distinguitur à desiderio, est affectus, quo voluntas fertur in objectum bonum absens & arduum, hoc est, non nisi difficulter obtinendum.

Nota 2. Amor specialis dividitur in amorem concupiscentiæ, & amorem charitatis, seu benevolentie. Amor concupiscentiæ est ille, quo quis amat se ipsum & bona sua, tanquam sua. Amor charitatis & benevolentie est ille, quo quis amat alterum propter ipsum, & bona illius tanquam bona illius, quia sibi complacet in illius persona propter propriam & intrinsecam ejus perfectionem. Hic autem amor vocatur amicitia, hoc est, mutua benevolentia, quando persona amata similiter afficitur ad personam amantem.

RESPONSIO I.

Deus bona sua intrinseca amat amore speciali, & virtualiter distincto à gaudio, & ab omni alio affectu divinæ voluntatis circa Deum.

Prob. Amor specialis est complacentia boni præcisè quàm bonum est, seu præcisè quàm conveniens est amanti. Atqui Deus habet talem complacentiam bonorum suorum intrinsecorum. Ergo, &c. Quod autem hæc complacentia virtualiter distincta sit à gaudio & ab aliis affectibus divinæ voluntatis circa Deum ipsum, & bona ejus intrinseca, *prob.* ex eo quod gaudium & alii affectus divinæ voluntatis circa Deum & bona ejus intrinseca, virtualiter fluunt ab hac complacentia velut à radice: quia, ut docet S. Thomas hic q. 20. ar. 1. in O. Omnes alii motus appetitivi præsupponunt amorem, quasi primam radicem. Nullus enim desiderat aliquid nisi bonum amatum: neque aliquis gaudet nisi de bono amato.

Obj. Ut Deus amaret bona sua intrinseca amore speciali, deberet in illa tendere, ut præcisè à præsentia & absentia. *R. neg.* Sufficit enim ut tendat in illa, quàm sibi bona & convenientia, & in illis, quàm talibus, sibi complacet. Ad hoc autem non requiritur ut represententur præcisè ut bona & convenientia Deo, sive ut represententur ut bona & convenientia Deo, præcindendo ab eorum præsentia & absentia: modò enim intellectus divinus repræsentet illa ut bona & convenientia Deo, potest voluntas divina hoc ipso in illis, quàm Deo convenientibus, sibi complacere, quamvis simul represententur ut existentia & præsentia, & ita voluntas divina non solum amet illa ut Deo convenientia, sed etiam simul & necessariò gaudeat de illis ut existentibus & præsentibus, sicque in illis, quàm talibus, necessariò quiescat jucundissimè.

G p. Dices.

Dices. Actus, quo voluntas divina versatur circa bona Dei intrinseca, est gaudium suavissimum. *R.* esse simul amorem specialem & gaudium suavissimum. Nam voluntas divina per unum & eundem realiter actum amat bona Dei intrinseca, quâ Deo convenientia, & suavissimè gaudet de illis, quâ existentibus & presentibus: sed quia non gaudet de illis, quâ existentibus & presentibus, nisi quia amat illa, quâ Deo convenientia, unus ille & idem realiter actus, quo voluntas divina amat specialiter bona Dei intrinseca, & simul de illis gaudet, æquivaleret, seclusis imperfectionibus, duobus actibus realiter distinctis, quorum unus esset amor propriè dictus, & alter gaudium; unus, nempe amor, esset causa; & alter, nempe gaudium, esset effectus. Unde actus ille, quo voluntas divina amat bona Dei intrinseca, & de illis gaudet, quâ gaudium est, virtualiter præsupponit se ipsum, quâ amor specialis est. Non sunt ergo confundenda in Deo amor & gaudium circa bona Dei intrinseca.

RESPONSIO II.

In Deo amor, quo una persona diligit alteram, est verus amor charitatis, & ita est verâ & propriè dicta amicitia inter personas divinas.

Prob. Nam 1. in divinis una persona diligit aliam propter ipsam, & bona illius, quia sibi complacet in illa propter intrinsecam ejus bonitatem & perfectionem. Ergo inter personas divinas est verus amor charitatis & benevolentiae. Hinc Patres dicunt Spiritum sanctum esse charitatem, quâ Pater & Filius se invicem amant. 2. In personis divinis persona amata amantem redamat. Ergo inter personas divinas verâ & propriè dicta intercedit amicitia. Et verò ad perfectum conceptum amicitiae satis est, si personæ sint distinctæ, & se mutuo propter se diligant, sive se mutuo diligant per amorem realiter distinctum, ut contingit in personis creatis, quæ habent naturas realiter distinctas; sive se mutuo diligant per unum & eundem realiter amorem, ut contingit in personis divinis, quæ habent unam & eandem numero naturam; quæ unitas & identitas amoris non tollit, sed potius perficit rationem amicitiae, ad quam etiam non requiritur communicatio bonorum & consiliorum, nisi quando deest aliquid melius, bonorum scilicet & consiliorum identitas cum amore mutuo planè necessario, & sic amicitia fomento non indiget.

Quæres 1. Utrum in Deo sit desiderium? *R.* 1. non esse in Deo desiderium circa bona sua intrinseca: desiderium enim non est, nisi circa bonum absens. Sed bona Dei intrinseca necessariò existunt, & pro quolibet instanti excogitabili necessariò presentia sunt Deo. *R.* 2. in Deo desiderium esse circa bona Dei extrinseca, hoc est, circa multa, quæ ad laudem & cultum Dei pertinent, ipsique grata sunt, & quæ, antequàm sint, vult esse; imò multa sunt ejusmodi, quæ vult esse, & tamen hominum culpa nunquam erunt: sic vult omnes homines salvos fieri, & mandata sua servari ab omnibus, & tamen neutrum sit hominum culpa. Ergo voluntas divina multa bona absentia prosequitur. Quod est desiderare.

Quæres 2. Utrum in Deo sit spes propriè dicta? *R.* non esse. Ratio est, quia spes propriè dicta versatur circa bonum arduum speranti. Atqui Deo nihil est arduum & difficile, cum sit omnipotens. Propter eandem rationem desperatio locum habere non potest in Deo: qui enim omnia potest, nihil potest desperare.

ARTICULUS VII.

Utrum in Deo sit odium.

Nota. Duplex est odium propriè dictum, nempe odium abominationis, & odium inimicitiae. Odium abominationis est illud, quo rem aut personam

aliquam averfamur ut malam. Possumus autem tripliciter averfari rem aut personam. 1. Ut malam præcisè. 2. Ut malam nobis. 3. Ut malam alteri. Unde triplex est odium abominationis. Primum, quo averfamur rem, vel personam, ut malam præcisè, opponitur simplici complacentiæ. Secundum, quo averfamur rem, vel personam, ut malam nobis, respondet amoris concupiscentiæ, quo aliquid volumus, ut bonum nobis. Tertium, quo averfamur rem, vel personam, ut malam alteri, respondet amoris benevolentiae, quo bonum alteri volumus, quia bonum ejus est. In secundo & tertio duplex est tendentia, una aversionis contra malum, quod nolumus, & altera prosecutionis circa personam, cui malum nolumus; nobis enim aut aliis malum nolumus, quia nos aut alios amamus.

Odium inimicitiae est illud, quo alicui personæ volumus malum, quia malum ejus est, & quia ipsa nobis displicet: ita ut displicentia illius sit nobis ratio, cur illi volumus malum, quia malum ejus est. In odio inimicitiae duæ sunt tendentiæ, una aversionis contra personam, cui malum volumus; altera prosecutionis circa malum, quod illi volumus, & quod ut bonum nostrum apprehendimus, hoc ipso quod malum illius est. Hinc odium inimicitiae est ex parte odium abominationis, quo averfamur personam, cui malum appetimus; nec ab eo differt, nisi ratione prosecutionis mali, quod appetimus personæ, quam abominamur, & quia eam abominamur. Hinc odium inimicitiae opponitur amoris benevolentiae, quo bonum volumus alicui personæ, quia bonum ejus est, & quia nobis placet: ita ut illius complacentia sit nobis ratio, cur illi volumus bonum, quia bonum ejus est.

RESPONSIO I.

Deus habet formaliter odium abominationis, non solum contra peccata, sed etiam contra peccatores.

Prob. 1. ex Scriptura. Nam dicitur Psal. 44. *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem;* & Psal. 5. *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem;* & Sapient. cap. 14. *Similiter odio sunt Deo impius & impietas ejus.* 2. Quia odium abominationis est illud, quo res vel persona displicet, ut mala. Atqui non solum peccata, sed etiam peccatores propter peccata displicent Deo: voluntas enim divina, utpotè rectissima, averfatur omnia, quæ aversione digna sunt, & quæ voluntas qualibet rationabiliter averfari potest. Non solum autem peccata, sed etiam ipsi peccatores propter peccata aversione digni sunt: quia non solum peccata mala sunt, sed etiam ipsi peccatores sunt mali propter peccata. Ergo, &c. Unde cum Sapient. cap. 11. dicit Deo: *Diligis omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti;* non aliud intendit, quam Deum non ita odisse peccatores, quandiu vivunt, quin sciret desideret eorum conversionem, propter quam illos tolerat, & ad quam dirigit poenas, quas illis infligit, illique misericorditer ignoscit, si tandem convertantur.

RESPONSIO II.

Deus etiam propriè & formaliter odit peccatores odio inimicitiae.

Prob. 1. ex Script. Nam Psal. 8. dicitur: *Perfecisti laudem propter inimicos tuos.* Quod verbum, *inimicos tuos*, sumi debet activè, non solum ex parte peccatorum, qui oderunt Deum, sed etiam ex parte ipsius Dei, qui odit peccatores, & ex illorum displicentia vult illis malum, quâ malum illorum est. 2. Nam Deus amat iustos amore amicitiae, sibi complacendo in illis propter gratiam sanctificantem, & ex tali complacentia volendo illis vitam æternam & alia supernaturalia bona, quia sunt illorum bona. Ergo pariter odit peccatores odio inimicitiae propter peccata, sibi in illis propter peccata displicendo, & ex tali displicentia volendo illis poenam, quâ illorum poena est. Quod præcipue verum est de damnatis, & aliis reprobis adhuc viventibus, quibus pro eo instanti, pro quo ab æterno videt illorum finem

tem impoenitentiam, vult absolute & efficaciter damnationem eternam, quia illos propter peccata abominatur. Hinc quando Patres odium à Deo remouent, remouent odium illud, quod cum passione & commotione conjunctum est: cum negant Deum odisse reprobos, negant tantum odisse quantum ad naturalia, aut absolutam & efficacem ordinationem ad poenam eternam pro eo tempore, pro quo converti possunt. Denique nobis non obstat, quod Deus peccatoribus poenam infligit, ut corrigantur. Potest enim simul aut saltem temporibus diversis poenam illis infligere, & ex affectu misericordiae, quia illorum conversionem desiderat, & ex affectu odii, quia in illis sibi propter peccata displicet.

Quaerit 1. Utrum in Deo sint fuga & detestatio? R. Affirmative. Nam 1. Fuga est actus auersivus mali absentis, cum aliqua voluntate illud avertendi conjunctus. Atqui Deus auersatur malum absens, & habet voluntatem illud avertendi, quia illud auersatur, ut patet in peccatis, quae possumus committere, & quae extrinsecum Dei, nostrum verò intrinsecum malum sunt. 2. Detestatio est actus auersivus mali praesentis, quod volumus non esse, quia illud auersatur. Atqui Deus auersatur multa mala praesentia, & vellet illa non esse, quia illa auersatur, ut patet in peccatis, quae actu committuntur, aut quae, postquam commissa sunt, & physice praeterierunt, perseverant moraliter.

Quaerit 2. Utrum timor, tristitia, & ira sint in Deo? R. 1. timorem non esse in Deo. Nam timor est actus auersivus mali imminentis & ardui, hoc est, ad vitandum difficilis. At Deo nihil potest esse arduum, & ad vitandum difficile. R. 2. tristitiam non esse in Deo. Nam tristitia est actus auersivus mali praesentis, & auersatur malum afficientis. At nihil potest malum Deum afficere. Si quid enim Deum male afficeret, certè peccatum, quia gloria Dei externae adversatur. At hoc dici non potest, quia Deus sibi, non solum ut sit, sed etiam ut optimè sit, sufficientissimus est, & sine gloria illa externa, quae per peccatum laeditur, beatissimus existit. Unde per peccatum malè affici nullatenus potest. R. 3. iram non esse in Deo. Nam ira est affectus inferendi malum alicui propter molestiam ab illo acceptam. Unde ira supponit tristitiam. Deus autem non potest tristiari, nec ab ullo alio molestiam accipere, quia propter bona sua intrinseca est essentialiter summè beatus. His omnibus addo, nullas esse in Deo passiones: passionem enim consistunt in immutatione aliqua, facta in corpore. At Deus non habet corpus, sed est substantia purè spiritualis.

DISPUTATIO VII.

De providentia Dei circa electos.

Nota 1. Dari in Deo providentiam manifestè docent Sacrae Scripturae. Sic Sap. cap. 14. dicitur: *Tua autem, Pater, providentia gubernat; & Beati Petri epist. 1. cap. 5. Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.* Experientia demonstrat. Experimur enim res omnes habere omnia requisita, ut fines sibi consentaneos assequantur. Ratio persuadet. Nam Deus est artifex sapientissimus: sapientis autem artificis est curam operis sui gerere. Hinc Sanct. Augustinus lib. 3. de Trin. cap. 4. asserit, *nihil fieri visibiliter aut sensibiliter, quod non de interiore, invisibili, atque intelligibili aula summi Imperatoris aut jubeatur, aut permittatur.*

Nota 2. Circa constitutum divinae providentiae variant sententiae. Nam 1. Sanctus Thomas hic q. 22. art. 1. in O. providentiam constituit in actu intellectus. Ratio, inquit, *ordinis rerum in finem, providentia in Deo nominatur.* 2. S. Damascenus lib. 2. de fide cap. 29. in actu voluntatis providentiam constituit. *Providentia, inquit, est voluntas Dei, Simonnet Theol. Tom. I.*

per quam res omnes aptè congrueque gubernantur. 3. Alii ex antiquioribus Scholasticis volunt providentiam in utroque actu consistere. In hac controversia, quae magis est de voce, quam de re, tertiam sententiam duabus prioribus anteponimus, vel potiùs ambas in tertia conciliamus, asserendo providentiam divinam potissimum consistere in activa ordinatione mediorum, quibus res ad fines suos perducì possunt, & hanc ordinationem in recto dicere actum intellectus cum actu voluntatis. Quod amplius explicabitur inferius, ubi exponetur, in quo consistat praedestinatio, quae est pars providentiae divinae perfectissima.

Nota 3. Omnia entia etiam in particulari subjacent providentiae divinae. Non solum enim cognoscuntur, & sunt à Deo omnia entia in particulari, sed etiam ad finem aliquem ordinantur aliquo modo. Deus igitur rebus omnibus providet, quamvis non eodem modo: nam aliis favorabiliter providet, ordinando scilicet illas ad finem ipsis convenientem & favorabilem. Tales sunt creaturae rationales: illas enim ordinat ad vitam eternam per media efficacia, aut saltem idonea. Aliis verò non providet favorabiliter, quia non ordinat illas ad bonum proprium, sed ad aliorum bonum, cum proprio earum detrimento. Sic providet cibo & potui, quos ad animalium nutritionem ordinat. Porro quamvis Deus provideat rebus omnibus, non tamen omnes defectus omniaque mala impedit, sed aliqua permittit propter bonum universi. Si enim nulla essent mala, multa bona decessent Universo, cujus perfectionem procurare ad Deum spectat, tanquam ad supremum & universalem provisorum. Sic v. gr. permittit tyrannorum malitiam, ut Ecclesia Martyres habeat, eorumque patientia & victoriis illustretur. Sic permittit innumera peccata, quia innumeris & maximis bonis occasionem dant. Unde etiam peccata providentiae divinae subjacent, quatenus Deus permissionem illorum ad fines optimos ordinat: ordinat enim ad electorum consummationem, & manifestationem perfectionum divinarum, peccatores cum magna patientia sustinendo, illis ignoscendo, de illius vindictam sumendo, &c.

Nota 4. Deus rebus providet vel mediatè, vel immediatè. Providet immediatè, cum per se solum media exequitur: mediatè verò, cum exequitur media per causas secundas. Quod facit, ut ait Sanctus Thomas hic q. 22. art. 3. in O. *non propter defectum suae virtutis, sed propter abundantiam suae bonitatis, ut dignitatem causalitatis etiam creaturis communicet.* Sive autem provideat immediatè, sive mediatè tantum, semper assequitur finem ultimum & generalem, nempe gloriam suam extrinsecam. At non semper assequitur fines particulares, quia non omnes, sed aliquos tantum intendit efficaciter: alios verò solum intendit conditionatè. Ad rationem autem perfectae providentiae non requiritur, ut finem inefficaciter & conditionatè tantum volitum provisor assequatur. Nam deviatio à fine sic volito, est medium sapienter ordinatum ad finem ultimum & generalem, efficaciter intentum, & ad ejus assecutionem efficaciter conducit.

Nota 5. Ex dictis facile intelligitur Deum providere omnibus hominibus. Providet reprobis, illos ordinando ad bonum electorum, ad bonum Universi, ad gloriam suam extrinsecam, imò & per media idonea ad salutem eternam, quamvis illam non assequantur sua culpa, quia mediis sibi à Deo oblatis uti nolunt. At specialissimè Deus providet electis, quibus ab aeterno preparavit, & in tempore dat media efficacia, quibuscum gloriam eternam certissimè consequuntur. De quo nunc nobis agendum est.